

† R. P. Aloisius Polák.

(Prov. Polon.).

† R. P. Aloisius Polák.

(Prov. Polon.).

P. Aloisius Polák unus e fundatoribus provinciae Polonicae erat, quare recte a Rmo P. Generali in epistula gratulatoria ad aureum professionis religiosae iubilaeum ad eum scripta « lapis angularis provinciae Polonicae » appellatus est.

Natus est Pragae in Bohemia die 20 mensis aprilis anni 1852. Parentes eius liberos suos pietate sincera educabant, quare tres ex eis in statu religioso Deo servientes viderunt. Studia humanitatis in gymnasio Pragae absolvit. Iam tum apparuit praecipuam in eo ad linguas discendas indolem inesse. Praeter nativam enim suam linguam bohemicam germanicam quoque perfecte didicerat, gallicae autem, italicae, anglicae in legendis saltem libris usum facilem habuit. Post, cum in Poloniam venisset, etiam linguam polonicam russicamque didicit, ad quam tandem novissime sermonem arte inventum, quem volapük dicunt, adiecit. Iunioribus sodalibus saepe commendavit, ut apostolici ministerii causa linguis exteris addiscendis strenue operam darent.

Eodem tempore animus in eo timidus manifestari coepit, quo toto deinde vitae tempore destitutus non est, et qui multarum angustiarum ei

fons fuit et sine dubio magnis meritis eum cumulavit. Ad hunc timorem augendum fortasse bellum haud parum contulit, quod anno 1866 gestum erat. Non procul ab urbe Praga enim tum sanguis plurimus effusus est. Quae animi timiditas fortasse eum induxisse videtur, ut mundum valere iuberet et Congregationi SS. Redemptoris nomen daret. Studiis gymnasiis finitis anno 1871 in noviciatum ingressus magistro usus est P. Andrea Hamerle. Magistri de novicio testimonium dicit eum pium, modestum, hilarem fuisse, quibus verbis optime illa indoles descripta est, quam per totam vitam in eo considerare poterat.

In studentatu deinde Mauternensi philosophicis theologicisque studiis operam dedit, quibus finitis sacerdos ordinatus Vindobonae ad Scalas Marianas alterum noviciatum absolvit. Ministerium apostolicum in collegio Sacromontano sub patrocinio Thaumaturgae Virginis incepit, quam semper devotione praecipua coluit. Cum in Sacro Monte moraretur, una cum duobus aliis sodalibus episcopo ordinario permittente daemonium exorcismo facto e puella quadam eiecit. Exorcismum per plures dies repeti oportuit, Patres exorcizantes cum oratione ieiunabant et cotidie ad sacramentum poenitentiae accedebant, nam daemonium culpas etiam minimas nondum extinctas eis exprobrabat. Tandem satanas exire coactus est. Antequam vero exiret, exorcistis se eos vindicaturum esse minatus est. Et re vera unus ex eis vocationis naufragium fecit, P. Polák vero aliquot annis post infelici lapsu brachium fregit.

Annis sequentibus saepius stationem mutavit, nunc Eggenburgum, nunc Pragam, deinde Grulichium atque iterum in Sacrum Montem migrans.

Anno tandem 1887 Mosciscam missus est, ut domui illi nuper fundatae praeesset. Si indolem eius anxiam ac timidam tecum reputaveris, facile tibi persuadebis, quam molestum ei fuerit migrare in regionem longinquam sibi ignotam, ad sodales utentes lingua, quam tum non noverat, utque inter eos superioris munere fungeretur. Oboedientia autem et Congregationis amore difficultates omnes superatae sunt.

Munere solutus in patriam rediit, sed anno 1894 iterum Poloniam petiit ibique ad mortem usque mansit, ita ut maiorem vitae sacerdotalis partem in Polonia transegerit. Provinciae Polonicae multa bona per eum obvenerunt. Cum superior esset, regularem observantiam firmavit, cum subesset, optimo omnibus virtutum religiosarum exemplo fuit. In exercitiis communibus obeundis accuratissimus semper fuit. Orationis erat amantissimus saepissimeque eum rosarium manu tenentem recitantemque videre poterat. Caritatis fraternae cultor eximius neminem umquam laedere visus est, omnes modestis iocis et facete dictis in Domino recreabat. Nil mirum, quod ab omnibus diligebatur. Modestissimus humillimusque cum esset, in obscuro vitam agere amavit ac vel minimum sodalem maxima reverentia salutare solitus est. Apostolico animarum salvandarum studio actus au-

diendis confessionibus nec fatigari nec satiari posse visus est, cotidie plures horas in sacro tribunali paenitentes vel audiens vel exspectans. Praecipuam curam illis adhibebat, qui sive surdastrī, sive surdi et muti, sive aliis corporis vitiis afflicti miserationem movebant. In muneribus domesticis obeundis commodo suo non servivit, sed, cum e. gr. ecclesiae praefectus esset, ipse sacra hora tardiore facienda sibi servare solitus est. Ordinis pulchrique sensum numquam negavit, quod in vita eius cotidiana et in conscribendis praesertim domus chronicis videre licuit. Quovis temporis momento utebatur diligentissime, cuius ut ne particulam quidem amitteret, nec ephemerides legere, nec deambulatum exire voluit. Mortem semper ante oculos habere studuit, quare in mensa scriptoria positam parvam similitudinem coemeterii habuit cum sepulchro inscriptione sua notato: «Hic sepultus iacet P. Aloisius Polák».

Modestus in vinea Domini operarius in missionibus et renovationibus 99 laboravit et 85 exercitiis spiritualibus praefuit, in quibus quater sorores religiosas alloqui solitus est et in Bohemia, ubi sorores germanicae cum bohemicis mixtae erant, quater ad utrasque dicebat, ita ut ad octonos per diem sermones pertingeret.

Salute semper optima fruitus est. At magnum bellum, quo tot homines victimae occubuerunt, etiam animi eius anxietati timorique adeo subiecti vires enervavit. Inde ab anno 1918 celeriter senescere coepit, tribus annis post iam confessiones audire nequivit, et iterum triennio post ne missam quidem celebrare potuit.

Interea raro solacio quinquagesimus dies anniversarius professionis eius religiosae anno 1922 Cracoviae actus est sollemnis, praesentibus omnibus provinciae Polonicae collegiorum superioribus et P. Superiore provinciae Pragensis cum sócio P. Janũ.

Cum alterum aureum iubilaeum sacerdotii eius appropinquaret, aetatis senilis debilitate ita confectus erat, ut animus iam vix sui compos esset. Misericors autem Deus servo suo fideli cenam sollemnem et magnam in regno caelesti paraverat, ad quam eum pridie diei ipsius iubilaei vocavit. In osculo Domini die 11 mensis septembris anni 1925 ad vitam meliorem migravit. R. i. p.!